





Catalogus disert.

1. Jo. Aug. Ernesti

1. de fide historica.
2. de difficultatibus Novi T. necesse interpretandi.
3. de templo Herodis N.
4. de vanitate philosophantium etc.
5. de vestigiis lingua hebraica in lingua graeca.
6. de theologia historica & dogmatica coniungenda necessitate.
7. de libertate iudicandi in causa religionis.
8. de doni linguarum natura ad illustr. libr. xvii.
9. de necessitate uel coelestium et terrestrium ad Epist. 1. 10.

2. D. J. S. Semler

10. de liberali doctoris S. L. provincia
11. de u. Christiano imago dei inuicibilis, ad Act. 17. 24. Coloss. 1. 15. Hebr. 1. 3.
12. Spiritus apostolorum Jesu & magister arguens mandans ad Act. xviii. 8-11.
13. Spiritus iustus, quam in sententiam dei, et dici legislator nouus potest.

3. J. F. Heibitz.

14. de usque qui primitias spiritus acceperunt ad Rom. VIII. 27.
15. Explicatio Capituli Ab. Paul. epist. ad Rom. ad Rom. sac. Baumgarten.
16. de exproph. ysis ab hominibus in hac uita non obtinenda.
17. Obij. ad illustrationem N. T. ex pro. Anst.

4. A. Boederlein

18. de uero usu atque abusa rationis humanae in rebus diuinis.

7. D. Gottf. Löff.

19. de doni linguarum indole
20. de filio hominis
21. Sententia iudeorum de Mesia & de iure eius regno.
8. Franc. Heilmann Reinhard
22. utrum de iudicium de miraculis requiratur in iure naturae accurata cognitio.
9. Ernesti. S. Meruodoff
23. de amen liturgico.
24. Iudicium de nonnullis dubitationibus contra rel. Christi.

10. J. Benj. Köppe

25. quid sit & arduitas ty. Epist. 1. 10. et qui & interpretor 2 Thes. 11. 2-13.

11. F. L. C. Loeber

26. Vindicta iustitiae diuinae in morte trauis ad Act. 17. 1-11.

12. F. Andr. Stroth.

27. de uera uisione 1 Pet. 11. 3.

13. D. C. C. Pittmann

28. Deus deus & seruator in eu. Joannis de monstratu.

14. D. C. G. Robert.

29. causa belli formalitatis aduersus lanan. nator. q. 1. Resunt multa.

15. C. D. Beck.

30. Specimen historiae bibliothecarum alexon. dinarum.

16. C. L. Gerling

31. doctrina de summa atque aeterna uera Christi diuinitate.

Jouann.  
N<sup>o</sup>. 129.  
2.



4.

PROLVSIO  
DE  
VANITATE  
PHILOSOPHANTIVM  
IN  
INTERPRETATIONE LIBRORVM S.

---

ORATIVNCVLIS  
IN  
SCHOLA THOMANA

A. D. XV. APR. A. CID 12CC L.

HABENDIS  
PRAEMISSA

A  
RECTOR E  
IO. AVGVSTO ERNESTI

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA



A

PROLOGUS  
DE  
VARIETATE  
PHILOSOPHANTIVM

INTERPRETATIONE LIBERVM

ORATIONIVM

SCHOLA THOMANA

A. D. MDCCLXXII

HABENDIS

IN ACADEMIA

RECTOR

IOHANNES AVGVSTVS BRUNNIVS

LIPSIÆ

IN OFFICINA HÆRZELIANÆ







um institutum nobis esset demonstrare, contra quam ferret opinio, siue eorum, qui de studiis litterarum, ac dignitatibus eruditorum, iudicandi potestatem haberent, siue eorum, qui literas ipsi tractarent, quot quantisque cum difficultatibus conflictarentur ii, qui in interpretandis graecis Noui Testamenti libris recte vellent versari; delata huc est disputatio, vt ostendendum esset, quanta eius difficultatis pars, a grammaticorum praeceptorum obseruationumque scientia iusta, et vsu legitimo, proficeretur, neque modo communis reliquorum librorum veterum interpretationi, sed etiam huic generi propriae. Quo loco cum veniret nobis in mentem, quam multi essent, qui de grammatica interpretatione exiliter sentirent, propterea, quod verbis, syllabis, ac singulis paene literis, minutis praeceptis et obseruationiculis, constaret, existimarentque, rerum potius scientia in interpretatione esse vtendum; coepimus vereri, ne ea opinio, late sparsa illa et disseminata, auerteret ab hac disputatione legentium animos, efficeretque, si nihil aliud, at hoc, vt, si difficilis esset grammatica interpretandi ratio, hoc magis eam relinquendam homines ac negligendam putarent. Itaque nobis hoc faciendum existimauimus, vt praemunitione aliqua vteremur, ostenderemusque, solam grammaticam rationem dignam esse interpretationis nomine, solam legitimam, euidentem, ac certam, et neque veras interpretationes satis ab aduersariis defendi, neque falsas, praesertim si per se non repugnarent ei, quae dicitur *ἀναλογία* doctrinae Christianae, *ἀνατιθέσθαι* refelli, nisi grammaticis rationibus adhibendis, posse. Quam demonstrationem probatam fuisse doctis et intelligentibus.



## IV

legentibus, aut saltem nondum imbutis falsa opinione hominibus, aut alia qua causa impeditis, et scimus et speramus. Restat igitur, vt, quemadmodum proposuimus superiori prolusione, primum interpretationis illius vanitas demonstretur, quae a rebus potius quam a verbis ducitur, quae philosophica et dogmatica esse maualt quam grammatica; deinde grammaticae, et in cognoscendo, et in vsurpando, difficultas explicetur. Ac posterior quidem disputatio Academicæ exercitationi destinata est, praesertim cum latius pateat, quam vt prolusionis huiusmodi terminis capi posse videatur; prior autem hoc tempore expediatur.

Neque vero ignoro, quam difficile sit, illam opinionem et consuetudinem, cui opponitur haec disputatio, eripere hominibus. Etenim cum alias illecebras habet, veluti ipsius nominis, tum blandas quasdam potentesque conciliatriculas, siue potius lenas, duas, superbiam et ignauiam. Nam, qui ita se compararunt, vt in summa litterarum ignorantia, aut vix mediocri scientia, solis quibusdam compendiis doctrinae cuiusque degustatis, tamen interpretes vel diuinorum, vel humanorum, librorum esse haberique velint, nullo modo concedere nostrae rationi potuerunt; qua probata, nullo ipsi numero interpretum sint necesse est. Est porro neque ingenii magni, neque laboris, aut grauis, aut diuturni, elementa ac tirocinia alicuius disciplinae, in compendii angustias coacta atque conclusa, et intelligentia consequi, et memoria complecti, et, quibus velis docendo reddere. Quis enim nescit, quam multi hoc quam paucis annis, et quidem inter lusus prope quotidianos, ac fere aliud agendo, consequantur? Qui autem e fontibus vel ipsi velint haurire, vel alius eos aperire, per linguarum et grammaticae disciplinae scientiam, iis res et obseruationes prope infinitae percipiendae sunt, ac tenendae, inque his permultae tenues ac minutae, eaque de causa ad retinendum fugaciores; libri plurimi assidue versandi, atque excutiendi: diligentia denique et aduersio animi singularis, ad minutissima quaeque demittenda. Quae sunt omnia inimicissima ignauiae voluptatique, ad cuius amorem studiumque tantopere huius aetatis mores inclinauerunt.

Est



V

Est profecto nihil propemodum facilius interpretatio-  
 nis genere eo, quod, neglectis Grammaticorum subsidiis, e  
 rebus sensum quaerit, in rebus potius, quam verbis, expla-  
 nandis laborat, et notiones verborum potius e philosophia,  
 quam ex obseruationibus Grammaticorum repetit. Nam non  
 modo mediocri scientia indiget, verum etiam adiuuatur in-  
 genio, etsi non magno, aut subactō, neque ἀνεπιβουλή, neque  
 diligentiam magnam, contentionemque ingenii, desiderat.  
 Vitringa, Interpres excellens in paucis, (praef. ad Comment.  
 in Esa. p. 6.) ita iudicat, in sensu grammatico eruendo, ob  
 rei difficultatem, et interpretum dissensiones, maximam pro-  
 poni molestiam: eo vero reperto, omnibus, etiam imperitis  
 linguarum, copiam et facultatem dari, libere et strenue de  
 singulis ceteris quaestionibus iudicandi et disputandi. Quod,  
 dictum de vno Esaiae libro, patet latius, atque etiam in ce-  
 teros libros sacros conuenit. Itaque non est mirandum, si  
 plerique id genus tam cupide amplectuntur. Ego quidem,  
 multorum annorum vsu et obseruatione, multis variisque in-  
 genis tractandis, didici, valde ad hoc genus procliuēs esse  
 adolefcentulos, praesertim eos, qui viuidioris essent impa-  
 tientiorisque ingenii, aut nondum satis adfueti quaerendo,  
 secundum grammaticas rationes, sensui. Etenim, saepissime,  
 difficultate aliqua, vel a verbis ipsis, vel a positu verborum,  
 obiecta, cum iussissem intendere animos ad quaerendum, sen-  
 tentiamque dicere, aut iudicii rationem reddere, vidi, desti-  
 tutos a scientia obseruationum grammaticarum, confugere ad  
 rem, vtcunque e contextu aut aliunde, cognitam, atque  
 hinc praesidia vel reperiendae, vel confirmandae interpreta-  
 tionis, petere, blandiente etiam ingenii quadam specie et  
 opinione, cuius omnes sumus, ea praesertim aetate, appeten-  
 tiores, quam diligentiae laudis. Omnino, si quis percurrat  
 superiorum seculorum memoriam, inde ab origine doctrinae  
 Christianae repetens, reperiat profecto, consuetudinem phi-  
 losophandi in interpretatione natam esse ab inscitia lingua-  
 rum, quarum discendarum nulla facultas dabatur, aut, cum  
 copia esset, molestiae, quae in his rite percipiendis sumenda  
 est, fuga, et nunquam, has qui tenerent, illa ratione vti vo-  
 luisse. Eadem igitur causa est huius rationis, quae allegoricae.



## VI

*Allegorice*, inquit Hieronymus in praefatione Commentarii in Abdiam, olim interpretatus sum Abdiam prophetam, cuius historiam nesciebam. Atque ita litterarum Ebraicarum et Graecarum inscitia plerisque etiam aliis Allegoriarum, omnibus philosophandi magistra extitit. Quae sunt omnia eiusmodi, ut facile appareat, istam rationem probari nullo modo posse. Sed sunt alia grauiora. De quibus antequam exponamus, accuratius nobis de toto genere hoc exponendum videtur.

Est autem nobis iam non suscepta disputatio contra omnes eos, qui rerum scientia ea, quae philosophiae nomen habet, in interpretandis libris sacris abutuntur. Itaque circumscripti et sublati sint ex hac disputatione, qui vel loca ea, in quibus, de sanctissimis religionis Christianae mysteriis, perspicue, et claris verbis, exponitur, tamdiu torquent, donec sapientiae humanae captui accommodata videantur, nihilque *musneides* relinquatur: aut miracula ad naturales causas, naturaliumque euentorum modum, reuocant contortis interpretamentis suis: aut alia aliqua eiusmodi ratione sacras litteras peruertunt: vinculis fortasse et carcere potius coercendi, quam subtiliter resellendi: praesertim cum saepe iam a doctissimis Theologis sint repulsi atque abiecti. Non cum furore imperitorum contendere animus est, sed errorem imperitorum refellere; quippe odio illi digni sunt, hi misericordia. Primum igitur genus sit eorum, qui philosophiae subtilitate, sed sine impietate, in interpretando abutuntur: alterum eorum, qui ipsam Theologiae veritate, sed fere sine noxa,

illi ergo proprie sunt, quos philosophari in interpretando diximus. Peccant autem multipliciter. Primum quidem, et maxime, in potestate singulorum verborum definienda; in quo tamen prope caput est interpretationis. Etenim quoniam adueri sunt notionibus eius philosophandi generis, in quo maxime triti sunt, eaeque statim ipsis occurrunt, ubi aut ipsum archetypum, aut versiones, aut vocabularia consulta, verbum habent, cuius definitionem aliquam a magistro suo didicerunt: inde fit, ut illam ipsam notionem isti verba subiiciant: quae saepe a mente scriptoris sacri est alienissima. Hoc vitium latissime patet, et omni tempore plurimum obfuit interpretantibus libros sacros. Satis constat, inter Grae-



eos fuisse permultos, qui notiones modo Platonicas, modo Aristotelicas, modo Stoicas subiicerent verbis Euangelistarum et Apostolorum, eaque ratione sensus alienissimos viris diuinis adfingent, saepe etiam contrarios ipsi veritati coelestii. De quo genere cum multa multis dicta sint, non attinet hic differere pluribus. Enimuero, etiam alii, non profecti a scholis philosophorum, tamen interdum similitudine verborum conturbati, philosophicas notiones arecesserunt alienis locis. Ex quo genere est Scholion Oecumenii ad Ebr. XI. r. vbi fidem *ὑπόθεσιν ἐπιτιζομένων* Paullus vocat. *ὑπόθεσιν*, quia *ἔσται* etiam vocabant antiqui Philosophi, etiam ipse Paullus sic dixerat c. I. hanc ille notionem huic loco adhibet, et super ea re lepide philosophatur, probante tamen, quod mireris, Beza. Sed multo magis hoc malum auctum est per Latinos, qui etiam graeca ignorabant: inprimis aetate eorum, quos Scholasticos vocamus, qui omnia notionibus Philosophiae suae refererunt. Posteaquam, restitutis antiquarum linguarum studiis, pulsa est barbaries, et caligo, in qua superiora secula iacuerant, discussa, huic malo medela est allata inprimis. Sed cum ardor ille discendarum linguarum ab ignauia hominum refraxisset, qui nunc prope extinctus est omnino, quod maius ac melius esse persuaderetur imperitis, res discere, quam verba, cum tamen et hic plerumque non nisi verba darentur: rediit malum illud, et late dimanauit. Itaque saepe scriptores diuinos ita sensisse audimus et legimus, tanquam e media Wolfiana aut alia qua tali schola, extitissent; quippe etiam exortis, qui libellis integris et Diatribis e philosophorum suorum dictatis verba Apostolorum obscurare, illustrare volebam dicere, conarentur.

Atque in Graecis quidem hoc vitium peperit maxime ignoratio linguae Ebraicae, et artificii, notionum per comparisonem Alexandrinae versionis cum textu Ebraico, rependiendarum, quem locum iam alio tempore tetigi. Quamquam mihi vere videtur iudicare is, quem supra laudaui, Vitringa, (praef. in Comm. in Esa. p. 5.) potuisse eos, etsi Ebraica ignorarent, idem tamen assequi comparatione eiusdem versionis, cum ceteris versionibus Graecis, Aquilae, et Symmachi inprimis, quorum alter Ebraicum textum ad verbum



## VIII

bum expresserat, vnde etiam a nonnullis veterum Ebraicæ veritatis nomine laudatur, alter puritatem graecismi conservare studuerat, vt etiam e reliquijs vtriusque, auro carioribus, intelligitur: de quo toto genere comparationis alio loco praecipitur accurate. Veluti, vt in exemplo antea proposito maneam, si Scholiastes ille, consulta Alexandrina versione, animaduertisset, *ὑπόσασθαι* dici, vbi in Ebraico essent verba *תורה* et *תורה* quae aliis locis per *ὑπομονήν, ἀπειθοχλήν*, et similia exprimerentur, quae patientem et constantem expectationem rerum speratarum indicarent, item, Hexaplis inspectis, Psalm. XXXIX, 7. vbi Alexandrini verbum *תורה* per *ὑπόσασθαι* interpretentur, esse, apud Aquilam, *καταδοκίαν* Symmachum autem, *ἀναμονήν*: facile sibi ab istis argutis cauisset: praefertim si cogitasset *τὸ ὑπόσασθαι*, vnde *ὑπόσασθαι* ducitur, etiam Graecis dici, pro *persuasum sibi habere*, quo sensu, nondum notato in Lexicis, saepe est apud Diodorum Siculum, velut I, 6, 11. 12. etc. Atque similiter ab talibus sibi cauere latini potuissent, nostrique homines possent: quamquam illi antiqui melius, qui Hexapla integra habebant.

Omnino erat his omnibus cogitandum, primo, linguas sibi non ita respondere, vt omnia verba, velut graeca, haberent sibi respondentia in lingua latina, quae plane idem significarent, de quo late egit Clericus in *Arte Critica*, caute tamen legendus: deinde, magnum discrimen esse inter notiones philosophorum subriles, et aliorum scriptorum populares, nequaquam ad subtilitatem philosophorum exigendas. Illud quoque tenendum erat in primis, scriptores dininos nonnulla verba vsurpassè sumpta e vulgari consuetudine loquendi, sed alia et propria quadam significatione, e comparatione variorum locorum, exemplis etiam rerum, diligenter comparatis, reperienda: ex quo genere est verbum *πίστεως*: in quo etiam ipsi Iudaei graeci lapsi sunt, cum e consuetudine eius verbi vsurpandi inter Graecos eius vim aestimarent, efficerentque ex illa *πίστις*, per quam salus datur, virtutem lege Moysis praeceptam, quam etiam ratio humana assequitur. Cuius rei exemplum habemus Philonem, qui fidem summis laudibus effert, supraque omnes virtutes ponit, sed ea, qua dixi, notione v. *Libr. quis heres rerum diu. T. I. p. 485. 486. ed. Lon-*



*ed. Londin. nuperae, et de Abrabamo T. II. p. 39.* Quare omnibus, qui in interpretandis libris diuinis rite velint versari, diligenter cauendum erit ab ista fraude, neque in notionibus verborum definiendis consulendi philosophi, sed linguarum et scriptoris cuiusque vsus, quem vt cognoscant, et reperire, via et ratione legitima ac certa, discant, Grammatici erunt audiendi.

*Alterum* genus philosophandi in interpretatione, sed superiori illi finitimum, est, *cum verborum sensus exigitur ad subtilitatem dialecticam et metaphysicam*: quo nihil ineptius dici fingique potest. Et in ceteris scriptoribus quidem graecis latinisque dudum ita repudiata est ista ratio, vt, si quis hodie vellet Oratoris alicuius, aut Poetae, aut Historici graeci latiniue verba ad istam subtilitatem exigere, et interpretari, vel etiam, vt interdum factum scimus, emendare, risum deberet omnibus intelligentibus. Omnia haec genera scriptorum, et quicumque non philosophis, sed omnibus scribunt, quo loco sunt vel maxime ii, qui genus humanum, atque etiam infimam plebem, erudire volunt rerum diuinarum scientia, non modo non curant, et sequuntur in dicendo philosophorum subtilitatem, sed etiam fugiunt sententias et verbis; quod nisi faciant, sed vel ostentatione doctrinae, vel inscitia dicendi, sententias et formulas loquendi e scholis philosophorum vsurpent, grauissime peccant imprudentia et inscitia artis dicendi, meritoque ridentur: quod non videntur intelligere, qui hodie, in concionibus ad populum de rebus diuinis habendis, vsurpant verba noua, et formulas a philosophis, heri aut nudius tertius, non dicam quam bene, excogitatas, et in scholis fortasse ferendas: quas non possunt intelligere, qui non eundem philosophum vel audierunt, vel legendo cognorunt. Quod si est, nonne rem ineptissimam faciunt, et a consilio diuinorum scriptorum, atque vtilitate hominum alienissimum, qui, in verbis illorum interpretandis, dialecticam et metaphysicam subtilitatem sequuntur. Neque enim aut ipsi e philosophorum scholis proderant, consueuerantque verbis, formulis, et sententiis vti, ad istorum subtilitatem exactis, neque philosophos, sed imperitissimam, nulloque modo istius *inuestigatus* capacem plebem,



X  
bem, erudiebant. Atque id tamen fecerunt ab omni tempore, et faciunt nunc cum maxime ii, qui sibi persuaderi stulte passi sunt, sine magna scientia linguarum, et exercitatione interpretandi per grammaticas artes assidua, rerum a philosophis petendarum scientia, viam ad interpretis, omninoque Theologi, boni laudem muniri posse, cum res et usus doceat, eam, nisi prior illa scientia et exercitatio accesserit, nunquam profuisse, plerumque magno impedimento fuisse. Neque id cauere vitium vlllo modo potest, nisi ab iis, qui plurimum temporis ac studii linguarum indoli, lectionique fontium tribuunt; praesertim, cum decipiat dulcedine quadam, a specie acuminis et subtilitatis, soliditatem vocant quouis ligno solidiores homines, iniecta vanis ingenii. Nam opprimit interdum etiam eos, qui non sunt isto errore infecti, nonnunquam vel emphasum rependarum cupidine, quibus fingendis permulti putant aliquid dignitatis addi scriptoribus diuinis: in quo genere omnes se praebent ridiculos ii, qui non tam e bene cognita consuetudine loquendi, quam e rebus interpretantur. Sed pauca exempla, e veteribus maxime, ponamus, quos impune erit notare: quamquam multo plura et ineptiora a recentioribus dicta et scripta cognouimus. Pauli dictum est I Cor. VIII, 31. τὸ γὰρ σχῆμα τῆ κόσμου παρὰ γει. In promptu erat σχῆμα τῆ κόσμου accipere per periphrasin τῆ κόσμου, (quod genus periphraseos frequens est apud Graecos, sed saepe fucum fecit interpretibus) collato praesertim loco Iohannis ὁ κόσμος παράγεται. Ecce aliquid exquisitius et subtilius reperi: Theophylactus: σχῆμα τῆ κόσμου dici, quia mundus hic nihil habeat solidi: sed speciem modo inanem bonorum, et malorum, quod fluant omnia et labantur etc. Quaesitum est, quomodo possint verba Michae, de Bethlehemitico oppido, cum verbis graecis, apud Matthaeum componi: quippe ille minimum, hic haud minimum dicit, e versionibus saltem. Non vocat referre omnes opiniones; Dannhauerus autem, Theologus doctus, sed metaphysicis innutritus, vt facile intelliget, qui scripta eius legat, Idea Boni Int. et Malit. Calumniatoris, pleno alioqui bonis obserationibus ac praeceptis, p. m. 93. expeditissimum censet hoc, vt a Propheta minima vrbs dicta sit, ratione existentiae, idque patere



tere ex addito *ἵνα*, ad existendum, q. d. ratione existentiae; a scribis autem, maxima, ratione dignitatis, quod patria Messiae futura esset. Quae sunt merae, eaque inanes, argutiae metaphysicae, id quod recte de hac interpretatione iudicauit Theod. Hackspanus, verae interpretandi rationis in primis callens quondam Theologus, in Miscell. Sacr. p. m. 36. addens prudenter: *Operam perdit, quin imo in periculum incurrit multa aut falsa, aut ridicula, aut certe aliena comminiscendi, quisquis metaphysicam subtilitatem a Grammaticis repositi, quorum fidei nunquam concedita fuit.* cf. p. 13. In similes ineptias incidere Graeci Theologi in interpretando *ἐπεὶ ἐπιπέσω*, quod dictum purabant, quia ad *ἔσσαν*, essentiam, vel substantiam animi, aut corporis, accedat, aut eam fulciat: quasi in vulgari et populari loquendi ratione *ἔσσω* vnquam sic dicta sit. vid. loca Patrum ap. Casaubonum adu. Baron. Exerc. XVI, 39. Lepida etiam est, vt multae aliae, Augustini distinctio inter verba *συναγωγή* et *ἐκκλησία*. Quaerit enim, quare Apostoli de Christianorum conuentibus nunquam dixerint *Synagogam*, sed semper *Ecclesiam*? quod tamen esse falsum reperisset facile, si graecum textum legisset vnquam. Respondet, coetum Iudaeorum dici *Synagogam*, id est, congregationem, quod congregari et pecora soleant, atque ipsa proprie, quorum et greges proprie dicamus. Christianorum vero coetum dici *Ecclesiam*, id est, conuocationem, quia conuocari magis sit vrentium ratione. vid. v. c. Comment. in Psalm. LXXXI. T. VIII. Opp. p. m. 906. ed. Frob. nam et alibi habet: adeo placuit. Hic risuros arbitror nonnullos, qui, fortasse e verbis versionis Lutheri, vt Augustinus e latina, aut non consulto, aut non intellecto archetypo, similes ineptias saepe protulerint.

Tertium genus est philosophandi, cum in interpretando vtuntur ieiuna ἀναλύσει dialectica notionum et enunciationum; quam etiam, ad verum sensum certa quadam ratione repeniendum, necessariam esse dicitant, eiusque rei se magistros iactant: cum primum raro sit necessaria, deinde, vbi deficiat, est linguarum idonea scientia, etiam vana et ridicula. Non dicam de Commentariis superiorum seculorum, in quibus frequentes sunt tales operosae ἀναλύσεις, hac ipsa de cau-



sa dudum excussis e manibus doctorum: nostra aetate exorti sunt philosophi, qui eadem ratione vti nos iuberent. *Multum interest, inquit aliquis Philosophus, de rebus sacris ex genuinis notionibus ratiocinari. Voco autem genuinas notiones, quae ipsi textui Scripturae S. insitae sunt, non autem quae extrinsecus inferuntur: id quod vulgo ab interpretibus fieri solet. Inde nimirum est, vt vagas verbis Scripturae S. tribuantur notiones, nec determinatas, atque vnusquisque autoribus sacris tribuat, quod ipsi videtur etc. Sententias loquitur. Damus igitur subinde Scripturae S. interpretandae specimina, vt appareat, quantum sibi noceant, qui, cum in eadem interpretanda vtilem operam collocare velint, subsidia tamen, quae a philosophia --- expectare poterant, proterue contemnunt etc. Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu. Instituit scilicet quaerere, quae notio subiecta sit verbis Paulli, cum se initio Epistolae ad Romanos *seruum Christi* appellet. Audite, quae so omnes, qui vultis discere, quomodo notiones verborum in sacris libris reperiantur. Nihil acutius vidi. Non addit, quoniam in sensu vocem serui accipiat, cum nullam reperias ibidem serui definitionem. Videant ergo, quid faciant, qui Paullum dicunt Tarsi Philosophos audisse. Quamobrem, si Romani scribentem intelligere debebant, eam notionem serui, non aliam praesupponere poterant, quam quae ipsis erat. Erat autem ipsis ea serui notio, quae in Institutionibus Iustiniani occurrit; quoniam ius Romanum loquitur de seruis, quibus utebantur Romani. Vae ergo tibi, Paulle, si aliter verbum cepisti. Ergo illa serui notio ad Paullum applicanda, quae in Iure Romano occurrit: quod deinde late ille exsequitur. Nonne vero istae merae nugae sunt? Videtur bonus vir solius huius epistolae initium inspexisse, non etiam ceterarum. Porro ignorabat, Romanos istos, maxima parte, e Iudaeis et profelytis Iudaeorum fuisse, ad quos scribens, verbis graecis ebraicam significationem subicere poterat, vt per totam epistolam fecit. Nesciebat deinde, consuetudinem loquendi ferre, vt, in epistolarum, praesertim Apostolicarum, inscriptionibus, dignitatis potius mentio fiat, quam modestiae documenta edantur, vt auctoritas scribenti concilieret: id quod clare patet ex initio epistolae ad Galatas. Quanto igitur melius*



XII

lius et breuius Grammaticus dicit, Ebraicam consuetudinem seruos vocare Regum, quos nos hodie etiam honestissime ministros vocemus, et saepe esse nomen dignitatis, eoque modo etiam Mosen seruum Dei vocari in V. T. vt notatum Masio, primario interpreti, ad Ios. I. r. itaque Paullum hic seruum Dei dici propter augustum Apostolatus munus. Plura eiusmodi specimina ex eodem autore proferre possem. Et tamen ille aliquo loco, defunctus aliqua tali analysi, gloriatur, primo, *eum qui in principiis philosophiae in Scriptura S. interpretanda dextre* (nempe vt in exemplo proposito) *vti no- uerit, sensum genuinum a se repertum esse, demonstrare posse*: exemplum vero demonstrationis vidimus: *deinde interpretationem, eo more institutam, inimus in viscera rei penetrare* (imo saeuit in viscera verbi diuini) *quam vulgo fieri solet etc.* Neque vero haec vanitas vni generi philosophorum est propria, sed, vt quique subtilissimi vel sunt, vel videri cupiunt, ita maxime ei sunt dediti. Itaque sacpissime, vt est in latinorum prouerbio, fluctus in simpulo mouent, hoc est, quae breuiter, aperte, ac planissime, expediri per grammaticas rationes poterant, eo modo, quo infiniti graecorum et latinorum scriptorum loci explanati sunt, ita involuunt tenebris subtilitatis dialecticae, vt difficilius sit interpretem, quam id ipsum, quod interpretatur, intelligere: cuius generis duo insignia specimina reperi in Adolphi Fr. Hofmanni Dialectica p. 1146. sqq. quae cum legerem, coactus sum exclamare: *δότε μοι λανάνην!*

Non arbitror necesse esse, vt notem etiam eos, qui omnia suae sectae placita in sacris libris reperiunt. Etenim id consequitur sponte ex eo, quod verbis sacrorum librorum, ex indicio aut versionis vernaculae, aut triobolaris alicuius Vocabularii, subiiciunt notiones, quas dictata magistri suggerunt. Neque longa oratione opus est aduersus eos, qui opiniones incertas quas *προθέσεις* vocant, ad indagandum sensum verborum adhibent: quod permulti fecere v. g. in explicandis verbis Ebr. XI, 11. de Sacra; *δυναμὴν ἔλαβεν εἰς καταβολὴν σπέρματος*: cum diceret *καταβολὴν σπ.* capiendam esse de femine muliebri, cuius commissione cum femine masculino proles gignatur, auctoribus philosophis. Etenim id



torum incertum, siue potius falsum est. Neque credibile est, Paulum formulas loquendi his sententiis accommodasse, si vel maxime verae essent; vt Grotius et Calouius, alique, recte monuere. Immo vero *καταβολή σπ.* dicitur vt *καταβολή κόσμου*, initium mundi vel creatio. Sic Iosephus B. I. II, 17, 2. *καταβολήν πόλεως* dixit: Clemens in Ep. ad Corinth. extr. *καταβολήν πάσης*, et medici Graeci *καταβολήν πυρετῆ* dicunt, quam latini *accessionem*, et initium febris, et *πυροξυσμῶν*. Ita *καταβάλλειν σπέκου* erit, quod latini dicunt *fundare domum* vel *familiam*, vt multis exemplis ostendit Drakenborchius ad Silium II, 65. quod fit prole suscepta, inprimis mascula et prima, vnde spes posterorum; et *καταβολή σπ.* adeo erit vel *procreatio sobolis*, vel *fundatio familiae ac domus*, e qua Messias nasceretur. Dicam igitur tantum de eo genere, quod interpretationis vel praecipuam hanc partem facit, *vt ratiunculas e philosophia conquiras, quibus dictis Christi et Apostolorum lucem*, scilicet, *affundat*, siue, vt illi aiunt, nexum praedicati cum subiecto declarat, per analysin propositionis in principia vel rationis solius, vel rationis et reuelationis. Venerunt in manus meas casti aliquo dictata Rectoris cuiusdam in Schola non ignobili, in quibus hoc artificio inter alia caput quintum Matthaei inquinauerat. Nam ab initio statim, declarato felicitatis nomine e compendii philosophici lacunis, quomodo ea notio determinaretur per notiones subiectorum, demonstrationibus acutioribus, quam sunt ipsi aristarum aculei, et inde a principio rationis sufficientis repetitis, declarauerat: veluti alias non possent credi, quae sapientissimus Seruator dixit, aut non omni demonstratione maior et potentior esset diuina auctoritas. Atque etiam in publicum a nonnullis editae sunt tales argutationes: quibus magis impenditur intelligentia sacrorum librorum, quam adiuuatur: praefertim si non nitantur legitima interpretatione verborum, quod plerumque deest huiusmodi demonstrationibus. Vnde sapientissime euenit his demonstrationibus, quod illis, apud Plutarchum, Philosophastris, qui, cum in conuiuium illatae essent fici, in quibus flocci lanarum animaduertentur, insisterunt subtiliter disputare, et exquirere modum causasque, quibus nasci in ficis tales flocci possent, cum interea, longe

prode-



proiecta iam disputatione, seruus ingressus doceret, unde, et quo casu ista lana sicis adhaesisset, et ita totam istam disputationem, cum magna stultorum indignatione, ad nihilum redigeret. Hi sunt isti *σεσοφισμένοι μύθοι*, ratiunculae acute excogitatae, quibus negat Perrus se usum esse in demonstranda Christianis maiestate ac diuinitate Christi, a quibus adeo bono et prudenti interpreti abstinendum, cum fatis habere debeat, si simpliciter intelligat mentem diuinorum scriptorum, vt illi quondam intelligebant, ad quos scripserunt: *ἢ τεχνολογῆν δέι*, inquit Gregorius Nazianzenus, vt opinor, sed *θεολογῆν*: neque, per ratiunculas ingenio humano excogitatas, sed per verborum suorum sensum, vim suam exserit Spiritus Sanctus, in animis hominum et ad fidem adducendis, et ad sanctitatem conformandis. Satis dictum de genere interpretandi eo, quod philosophica subtilitate abutitur. Pauca addamus de altero, tolerabiliori illo quidem, quia nihil admodum nocet, sed tamen non omnino probando, quod ipsa Theologiae veritate abutitur, atque adeo et ipsum quodammodo philosophatur potius super verbis diuinorum librorum, quam interpretationis munere rite fungitur.

Nampe perpauci sunt, semperque fuerunt, qui dictionem Noui Testamenti ita cognouere, vt in prima Prolusione, de difficultatibus interpretandi N. T. diximus, fieri debere, si quis idoneam eius interpretandi facultatem appetat. Quotus quisque enim est, qui totam versionem Alexandrinam diligenter excusserit, et hinc cum Ebraico textu, hinc cum reliquiis Aquilae, Symmachii et Theodotionis comparauerit, adiuncta etiam Philonis et Iosephi lectione, quam plurimum, vsu didici, in hoc negotio prodesse: vt alia taceam, quae ad recte cognoscendam N. T. dictionem necessaria sunt. Plerique aut non habent eas copias, vt apparatus illum librorum sibi comparare possint, aut non hanc facultatem litterarum graecarum, vt iis vti, et ista contentione recte defungi queant, aut denique ne otium quidem a necessariis negotiis, quod isti labori sufficiat. Itaque non est mirum, si oppido pauci ab omni tempore fuerunt, qui satis instructi his subsidiis ad interpretandum essent. Ceterum, cum tamen munus interpretandi sustinerent, adsumserunt, eius scientiae et facultatis quasi vicariam



tiam scientiam rerum sacrarum, et perspicuis locis, et commentariis Theologorum, interdum etiam philosophorum haustam, et verbis utcumque e Lexicis vulgaribus, versionibusque vernaculis, imprimisque latina, cognitis, etiam difficiliora loca interpretari instituerunt; felici interdum euentu, saepe contra. Itaque tanta copia extat interpretationum falsarum, siue potius non accuratarum, vt, si quis, ad Sixtini Amamae exemplum, velit Antibarbarum biblicum scribere, in quo talia peccata, in N. T. interpretatione admissa, quemadmodum ille in magna parte V. T. fecit, colligere et castigare velit, ei materia magni voluminis deesse non possit. Age vero exempla nonnulla adponemus, et quidem ex vna Epistola ad Romanos, ex quibus adpareat, si docti viri ἀνεπισήμοι in grammaticis artificis cognoscendis vsurpandisque fuissent, facilius eos se ex difficultatibus expedituros fuisset, nonnullas controuersias omnino futuras non fuisset. Vñ enim didici, interdum paruulas obseruatiunculas grammaticas plurimum prodesse, hisque non promte et in tempore occurrentibus, magnas difficultates obiici, eiusque rei multa exempla notata habeo, quae alio loco proferentur commodius.

C. VII. v. 14. ὁ νέμος πνευματῶν, ἐγὼ δὲ σαρκῶν. Hic valde philosophari solent in explicando attributo legis, cum dicunt sic dici, quia sit a Deo, qui est Spiritus, quia spirituale obsequium desideret, non tantum externum, quia nos spirituales efficere debeat etc. Haec omnia ducta sunt e latinae versionis vocabulo, metaphysice tractato: neque istis, ad quos scripsit Paullus, in mentem venire vilo modo potuerunt. Tenendum autem erat, Ebraeos verbo מור adiungere solitos notionem perfectionis, excellentiae, roboris atque virium, verbo כשר autem, imperfectionis infirmitatisque, aptissimo et eleganti tropo. Es. LXI, 3. Aegyptii homines, non Deus, equi eorum caro, et non spiritus: vt alia loca mittam. Hinc cum graece loquentes Iudaei מור interpretarentur per πνεύμα, eadem notio huic verbo adhaesit. Sic Euangelium dicitur πνεύμα, ob vim salutem hominibus conferendi, Lex σαρκῶν, quia salutem dare, sanctos reddere homines, non potest. Tiroi es i. Cor. III, 1. σαρκῶν, perfectiores πνευματικοὶ dicuntur. Ergo νέμος h. l. πνευματῶν dicitur, propter perfectionem suam in praecipiendo, nullo



nullo alio respectu, vt contextus facile docet: Paulus contra *σερικόν* vocat, propter imbecillitatem in seruanda lege, quia corruptio naturali laborat, quae facit, vt nunquam tantum vitium consequatur, vt facisfacere legis profectio perfecta sanctitate possit. Nonne haec faciliora et clariora et istis, quae ante diximus, et ceteris, quae de Paulo, ex parte carnali, a nonnullis disputantur?

C. VIII ἐν ᾧ κρέζομεν ΑΒΒῶ, ὁ πατήρ. Quaesitum est, quare syriacum et graecum verbum iunctum esset. Poterat grammatice facile res expediri, dicendo, ὁ πατήρ esse interpretationem alterius, omissis verbis ὁ ἐστίν, quae alias addi solent, sed tamen et alibi omittuntur, vt Aët. XIII, 8 vbi vid. Druf. et Grot. Sed argutius aliquid inuentum est, idque ridiculum dictum sic, vt appareat, ludacis et: Graecis licere Deum Patrem vocare, quod habet Augustinus ad PCLXXVIII T. VIII. Opp. p. 878, aut, quod blandientium sit, repetere nomina, vt Grotio placuit: quae nihili esse, facile patet. Nihil iam dicemus de verbis κλητὸς, κλησίς, πρὸθεσίς, πρὸγνώσις, aliisque in hoc capite, in quibus explicandis plerumque plus audiuntur versiones, quam ebraica consuetudo vsurpandorum verborum, e quibus illa expressa sunt, vnde difficultates et controuersiae ortae sunt, quibus etiam nunc Theologi iactantur.

C. IX. Torquent se interpretes in verbis *ἐν ᾧ κατ' ἐκλογὴν πρὸθεσίς μὲν*. Etenim, cum in Vocabulariis *ἐκλογὴ electio*, *πρὸθεσίς propositum* vertatur, *propositum* autem *iuxta electionem* intelligi, et componi cum formula doctrinae non possit, ad hypallagen confugiunt: tanquam dictum sit, *pro ἢ κατὰ πρὸθεσίαν ἐκλογῇ*. Non multo melius Grotius: *libertas in rebus, quae ad praelationem pertinent*: quod graeca constructio non patitur. Relictis omnibus, vis verborum melius indaganda erat. Nempe, primum *πρὸθεσίς* idem est, quod *δὲν* *μα*, vt 2 Macc. III, 8, et quidem *δὲν* *μα* benignum, beneficium, verbo, beneficium, seu benignitas, quo sensu etiam *δὲν* *μα* saepe dicitur: quippe ebraicis verbis *יְשַׁר* et *יְשַׁר* responderet, vt Rom. I, 10. *πρὸθεσίς* Dei quidem clare de benignitate dicitur 2 Tim. I, 10. opponitur enim ibi *ἐργαίς* hominum, quae non tollunt propositum, sed liberalitatem, et integritatem beneficii diuini. Porro *ἐκλογὴ* est fundamentum libertatis, eaque vbi est, ibi etiam libertas est: vnde propria libertate ponitur more Ebraeorum, qui libertatem in agendo, praefertim in beneficiendo, exprimere, quantum scio, non possunt, aut solent nisi per verbum *יְשַׁר*. Est igitur *ἐκλογὴ libertas*. Porro, *κατ' ἐκλογῇ*, interiectum inter articulum et substantiuum locum adiectiui obtinet, more graeco. Apud Polybium *οἱ κατ' ἐκλογὴν ἀνδρες* iunt



sunt *delecti uiri*: mox in hac Epistola c. X. ζήλος κατ' ἐπίγνωσιν, *zelus sapiens et prudens* c. XI. οἱ κατὰ φύσιν κλάδοι, *rami naturales* etc. Inde fit interpretatio haec: *sed ut beneficium Dei liberum esse non dubitaretur, s. libera Dei benignitas salua et indubia maneret*: qui sensus planissime consentit cum serie orationis Paulinae.

Vnum exemplum ex eiusdem capituli v. 18. addam: ἐν ἑλέει, ὃν θέλει, ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει. Non repetam, quae de hoc loco dicta sunt a nostris et reformatis Theologis, contorta fere illa. Etenim σκληρύνει vertebant *indurare*: cuius verbi certa definitio erat in compendio constituta: vnde disputatum, quomodo Deus dici possit, salua bonitate et iustitia, indurare homines. Sed hic de ea induratione, quam in disciplina sua Theologi vocant, non est sermo. Id sic patet: Primum ἑλεῖν est ex Ebraismo, *amare, benefacere*: clarum est ex v. 25. vbi habemus ἡγάπημένον, cum verbum ebraicum apud Hóseam proprie sit ἡλεμήνην, estque e toto contextu Hóseae clarum, sermonem esse de cura Dei vniuersa erga Israelitas. Hoc constituto, vel ex lege disiunctionis consequitur, vt σκληρύνειν sit, *non amare, non curare, non benefacere*: quod ante dixerat μισῶν, minus benefacere, atque adeo durius habere, inopia, seruitute, aliisque incommodis immittendis. Sed hoc clarum est etiam, si verbum σκληρύνειν cum ebraico verbo מִשְׁרַן comparamus, cui responder. Kimchium, legi nescio vbi, tradere, id dici etiam de Deo, cum homines sua consilia celet, quae aperit iis, quos amat. Sed clare patet e Iob. XXXIX. 16. id dici pro *duriter tractare, non curare*. Nam ibi dicitur de ciconia, quae non fouet curatque pullos, vt aliae aues faciunt: quod Alexandrini verterunt: ἀπεσκληρυνε τὰ τέκνα αὐτῆς. Ita facilia et plana sunt omnia, et omnis cauillandi occasio aduersariis, qui hoc loco abutuntur, praeciosa. Deus libere tribuit beneficia: tribuit, cui vult, et non tribuit, cui non vult.

His exemplis arbitror planum esse, id quod innumerabilibus aliis demonstrari potest; expeditiorem et planiorem esse viam ad sensum verum librorum sacrorum reperendum, et veritatem ab aduersariis defendendam, quae per linguam recte intellectam, quam per rationes dogmaticas ducat.

Iam etiam si, quae de toto hoc genere philosophandi in interpretatione, destituta idonea facultate praesidiorum grammaticorum, disputauimus, sunt eiusmodi, vt sua sponte vanitas eius appareat: tamen lubet, quaedam vniuersè de ea dicere, si forte hoc magis ab ea ratione auertere iuuentutem sacrarum literarum studiis destinatam, et studio linguarum incendere possimus.

Ac



Ac primum, magnum praeiudicium contra illam rationem facit hoc, quod historia omnis aeni docet, cum ista ratione barbariem et sacrorum corruptionem et natam et sublatam, ab illa nostra autem, h. e. a grammatica, puritatem religionis et restitutam et conseruatam esse. Itaque illis temporibus, quibus sacra per Lutherum instaurata sunt, nihil frequentius linguis vel celebratum laudibus, vel cultum studiis fuit: vnde viri passim extiterunt, quibus postea, cum studia illa refrixissent, nihil simile aut secundum prouenit. Hinc crebrae, inprimis apud Lutherum, reprehensiones philosophiae, siue potius philosophantium in sacris, et libros diuinos stulta sapientia sua, et obtusa subtilitate, vel obscurantium, vel peruerterentium. Quale autem hoc est, quod Viri magni, et philosophiae, doctrinaeque ceterae Theologicae scientiae instructi, etiam si ipsi carebant scientia linguarum, tamen in praecipis interpretandi edendis, linguas et grammaticam disciplinam commendauerunt, non illas disciplinas, quas ipsi tenebant. Ex quo genere Augustinus est commemorandus, qui, cum ignoraret, id quod satis constat, graecam et ebraicam linguam, in ceteris disciplinis omnibus valde versatus, tamen in L. II. de doctrina Christiana, istis linguis, et comparationi iustae versionum, ad intelligendas sacras literas omnia tribuit: philosophiam autem ad tractanda, ad modum formulamque disciplinae reuocanda, disputanda, et defendenda ea, quae in intellectis sacris literis, non aliunde, cognita sunt, requirit. Bene dictum est a magistris interpretandi, esseendum esse sensum e sacris libris, non aliunde inferendum. Enimvero, nonne hoc faciunt ii, qui e philosophia petitas notiones et sententias adhibent in interpretatione? non illud contra, qui Grammaticorum more requirunt, quae consuetudo loquendi cuiusque linguae, aetatis, scriptorisque fuerit, et hinc sensum declarare student? Tu bene argutaris, verborum subtiles definitiones, a magistro haustas, proponis, hinc demonstrationum, si credere fas est, series longas ducis. Quid? si quis exoritur, qui dicat, verba ista aliud significare? Non tota illa subtilis demonstratio ad nihilum redacta cadet? Tum haec planissima via ad Pyrrhonismum est in religione. Nam tu bene habes commemorare et compendio doctrinae rationes, propter quas verba sic capienda putes: existet alius ex alia secta, qui, e suo compendio omnia alia dicat, et similiter contrarium demonstret. Quid tu contra dices? non necesse erit, ad usum linguae confugere, si quid certi efficere velis, cui cedere ille aduersarius cogatur?



Quare, cum nobis hoc diuino beneficio contigerit, vt, inde a repurgatis sacris, tot praeclari viri elaborarint, vt omnia subsidia linguarum copiose suppetere, quibus recte vsurpandis, possimus veram librorum sacrorum sensum plana, perspicua, facili ac certa ratione indagare ac reperire, grate vtamur opportunitate ista, et beneficio, neque rem recidere ad pristinam barbariem sinamus: quod si illa ratio obtineat, necesse est fieri, vt recte iudicat Perizonius in Or. de vsu graecae et latinae linguae p. 33. *si studium hoc scripturae sacrae penitus intelligendae desiciat, (desiciet autem necessario, simulac natiuus sermo in scitiae tenebris iacebit sepultus) tum vero quid restabit aliud, nisi vt ingenium humanum, quod prorsus otio torpescere nequit, sese dedat denuo subtilitatibus metaphysicis, et in rebus nibili, maximo tamen conatu ad insaniam vsque disputandis sese ostendet, quae superioribus seculis grauissima fuit fundi Theologici calamitas?* Atque hoc tanto magis est faciendum, cum hinc etiam alia commoda, expectanda sane, ostendantur. Laborant interdum homines, cum aliquid est scribendum, cum specimen ingenii et doctrinae est edendum, protruduntque foetus monstrosos et ridiculos, nullius certe vtilitatis. Non erunt in his angustiis, atque in hac inopia, si viam hanc insiterint. Etenim fertilis iste ager est, nec deesse illum colentibus materia scribendi potest, quae legantur a doctis omnis adeo sectae hominibus, et probentur, sintque vtilia ad veritatem religionis Christianae retinendam et confirmandam.

Restat, vt Patronos et Fautores bonarum literarum, atque adeo Scholae Thomanae, et meo, et quorundam disciplinae nostrae alumnorum, bonae spei, et linguarum antiquarum amatissimorum iuuenum, nomine rogem, vt audiendas Oratiunculas, quas de *Oeconomia laudibus*, sumtae Xenophontio libello Oeconomico, quam interpretari nuper in Schola Thomana coepi, materia, crastina die recitabunt. Eorum nomina subieci

IOANNES CHRISTIANVS MITTENZWEX, Colditiensis.  
GOTTFRIED ALOESIVS, Iieburgensis.

CONRADVS IVLIVS FRIDERICI, Officiensis.

CHRISTOPHORVS NAVMANNVS, Pegauiensis.

Hi se magno beneficio affectos existimabunt ab omnibus, qui sibi hoc, quod petimus, honoris habuerint: quem ego etiam ad me purabo pertinere. Scripsi in Schola Thomana d. xiii. Aprilis.





Na 32.  
g

vd 18


ULB Halle 3  
005 367 468




N 11.











4.

PROLVSIO  
DE  
VANITATE  
PHILOSOPHANTIVM  
IN  
INTERPRETATIONE LIBRORVM S.

---

ORATIVNCVLIS  
IN  
SCHOLA THOMANA  
A. D. XV. APR. A. CIO 19CC L.  
HABENDIS  
PRAEMISSA  
A  
RECTORE  
IO. AVGVSTO ERNESTI

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

